

III. Scandalum *pharisaicum*, seu *malitiosum* saltem *ordinarie* (6) nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferentis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum: ratio, quia tale scandalum oritur a sola malitia illius, qui scandalum accipit, ac propterea non est ullo pacto *datum*, sed pure *acceptum*.

236. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An praecepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

Resp. 1^o *Neg.*, quoad praecepta iuris naturalis negativa, quia haec semper et pro semper obligant, atque opera illius contraria sunt intrinsece mala. Affirmativa autem, quae non obligent pro semper, omittere interdum licet, imo et opus est (7), v. gr. praeceptum corrigendi peccatores, si gravior inde ruina timenda sit; at potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare. — S. Lig. n. 51.

Resp. 2^o Quoad praecepta positiva humana, *controvertitur*. 1^a *Sententia probabilis affirmat*, secluso incommodo gravi, quia praeceptum vitandi scandalum proximi, utpote naturale, positivis praeceptis praefendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad Missam praeceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit ut deinde scandalum cesset: non tamen pluries, ob grave incommodum, quod inde consequeretur. — S. Lig. *ibid.* — Suarez. — Laymann, etc. — *Negant* tamen alii non minus probabiliter (8). — V. S. Lig. *ibid.*

pusillorum scandalum non *mere acceptum*, sed etiam *datum* nuncupare. Ita Bonac. (*De Pecc. disp. 2. q. 4. p. 2. n. 2. 3.*), Sanchez (*Moral. lib. 1. cap. 6. n. 1.*), et alii.

(6) Ita Suarez (*De Charit. disp. 10. sect. 3. n. 9.*): *Cum dicitur, pharisaeorum scandalum non esse vitandum, omittendo spiritualia bona, intelligendum est vel regulariter, vel certe in re, nunquam esse omittendum; tamen necessarium esse interdum omittere bonum opus exterius. Rationem autem reddit (ibid. n. 8.): Si cura de bono proximi potest obligare ad bonum faciendum, cur non etiam aliquando ad intermittendum? praesertim cum nullo bono spirituali propterea privatur homo: tum quia ista omissio praecipue est necessaria in actu exteriori, in interiori autem desiderio potest retinere fructum et meritum: tum etiam*

quia hoc ipsum, quod est privare se merito illius operis propter bonum proximi, erit maius meritum, quam ipsum opus bonum. Unde in operibus consilii res est clara.

(7) Haec regula generalis est; sed, ut advertit Suarez (*De Char. disp. 10. sect. 3. n. 9.*), *tunc oportet in individuo prudenter iudicare, quid magis praeponderet, an ruina proximi vitanda, an opus illud omittendum. Considerandum etiam est, quam grave sit illud praeceptum, quanta necessitas vel utilitas eius, et omnibus consideratis ferendum iudicium, prouti faciendum est, quandocumque res occurrunt ad diversa praecepta spectantes, quae tamen simul fieri nequeunt.* Quae quidem consideranda sunt etiam quando agitur de praeceptis positivis.

(8) *Negant* scilicet, mulierem teneri ad

QUAER. 2^o *An bona temporalia teneris dimittere ad scandalum evitandum?*

Resp. Neg. ordinarie loquendo, quia Charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere plus aequo operario vel rhedario, licet praevideas illum secus esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se saepius occurrere potest, et sic grave faciliter evadit; quin imo ad blasphemandum incitamentum posset saepius id esse (9). — S. Lig. n. 52.

QUAER. 3^o *An in scandalo detur non solum peccatum contra Charitatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?*

Resp. 1^o *Affirm.*, quoad scandalum *directum*. Quaelibet enim virtus specialiter vetat non solum ne violetur, sed etiam ne quis alium directe inducat ad eam violandam. — *Ita fere omnes.*

Resp. 2^o Quidam affirmant etiam quoad scandalum *indirectum*. Melius tamen alii negant cum Lugo, *de Poenit. D. 16. n. 159.* Nam secus qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem, quod communissime DD. negant (10).

omittendam Missam, licet concedant, posse eam omittere. Quod ultimum quidem, nisi id concedant ob qualemcumque probabilitatem oppositae sententiae, difficile videtur. Nam si absit necessitas vitandi scandalum, non apparet, cur Missae interesse non teneatur. Interim tria adverte: 1^o quaestionem hanc fieri de scandalo, quod aliquis in particulari pati possit, non vero quando generatim timor subeat, ne quis forte scandalizetur; 2^o obligationem eiusmodi vitandi scandalum raro contingere, ut notat Suarez (*De Char. disp. 10. sect. 3. n. 10.*): 3^o Confessarium in hac opinionum varietate consilia utique praebere, non autem obligationes posse urgere.

(9) Ita nec parochus tenetur dimittere quae sibi debentur iure stolae, ad praevendas nimirum obreclationes; grave enim non sibi modo, sed et successoribus incommodum inde contingeret; cum pauperibus autem magis expediet, ut eos, a quibus suum ius repetit, eleemosynis deinde adiuvet.

(10) Sufficit ergo in confessione expri-

mere generatim peccatum scandalum, neque necesse est speciem peccati innuere, ad quod inducti *indirecte* alii fuerint. Multo vero minus opus est, ut exprimantur circumstantiae, quae aliorum peccatis forte speciem superaddant, v. gr. num qui induci ad luxuriam turpi sermone aut pictura potuerunt, coniugati sint aut voto adstricti, etc. Adde, nec necessarium esse, ubi eodem actu plures scandalizati fuerint, horum numerum exprimere, iuxta ea quae in Tract. *de Peccatis* disputata sunt.

Quaeres, quomodo id quod hic dicitur, scilicet *necesse non esse speciem peccati innuere, ad quod indirecte inducti alii fuerint, cohaereat cum iis, quae habentur in not. ad n. 235.*, nempe *malitiam scandalum propriam inesse tum scandalo directo, tum indirecto, quia in moralibus voluntarium directum et indirectum ad eandem speciem pertinent.* — *Resp.* Malitia scandalum propria est, quae charitati adversatur; et haec invenitur etiam in scandalo indirecto, quia, ut ait Suarez (*De Char. disp. 10. sect. 2.*

237. — QUAER. 4^o *An peccans cum complice declarare debeat in confessione circumstantiam sollicitationis?*

Resp. Probabilius neg., quia accedente alterius consensu, sollicitatio non est nisi circumstantia mere aggravans; neque minus complex per consensum fit scandali reus; proinde peccatum scandali sufficienter accusatur confitendo peccatum cum aliis commissum. — S. Lig. n. 46. — Lugo. — Affirmant tamen *probabiliter Salm.* et alii, qui aiunt actionem inducendi ad peccandum esse peccatum distinctum et speciale (11).

QUAER. 5^o *An liceat suadere minus malum alicui ad maius determinato?*

Resp. Affirm. probabilius cum S. Lig. n. 57. Quidam tamen limitant, si minus malum contineatur aliquo modo in maiori, ut percussio in homicidio, etc.; quae tamen limitatio S. Alph. necessaria non videtur (12).

n. 9.), *teneri possum ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur, ex obligatione charitatis.* Discrimen vero inter indirectum et directum scandalum quoad reatum contra aliam virtutem, sic indicat idem Suarez (ibid.): *Ille in eo casu (scandali indirecti) censetur esse causa moralis ruinae proximi, ut est contra charitatem, non vero ut est contra alias virtutes. Neque est simile de illo, qui per consilium directe inducit: nam hoc aperte est contra obligationem cuiusvis virtutis.* Hoc ipsum sic Lugo (*De Poenit.* disp. 16. n. 164.) expressit: *Sic ergo nec peccas contra iustitiam, si praevidens, praeter intentionem tuam alium ex tua intemperantia inducendum esse ad furandum, id non impediās; quia iustitia obligat quidem te, ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impediās, et ad hunc finem abstineas ab intemperantia.* Quae cum habeat, et fuse explicet et defendat Lugo, non apparet, quomodo S. Alphonsus (lib. 2. n. 45.) eum alleget pro opposita, quam tenet, sententia, sicut etiam Tamburini, qui (*Conf.* lib. 2. c. 1. n. 105.) idem docet, ac Lugo, et insuper Collet (tom. 3. p. 327.) qui utique statuit peccari etiam contra virtutem, ad quam violandam scan-

dalo quis inducit; sed id habet in thesi de scandalo *directo.*

(11) *Ista ratio non contradicit primae sententiae; neque enim haec negat, speciale scandali peccatum intercedere; sed affirmat, hoc commune esse utrique peccanti, et ideo in confessione satis exprimi, quando complicitas cum alio exprimitur, v. gr. peccatum fornicationis.*

(12) Alii excipiunt, si volenti maius damnum uni inferre, suadeas minus damnum inferendum alteri. Ita Sporer (tom. 4. cap. 3. n. 27.) post Lugo (*de Iust. et Iur.* disp. 19. n. 47.), quibus adhaeret S. Alph. (lib. 3. n. 565.). Sed probabilius licere id affirmant Sanchez (*De Matr.* lib. 7. disp. 11. n. 24.), Turrianus (*De Fide, etc.* disp. 95. dub. 6.) et Vasquez (*Opusc. De Scandalo* art. 1. dub. 2. n. 14.). *Ratio est* (inquit Vasquez), *quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum, ex quo fit, ut is, a quo latro furatur illud, quod minus est, non sit rationabiliter invitatus de eo, qui consilium praebeuit.* Nec valde efficax videtur Lugonis ratio in oppositum, quia scilicet dum hoc furtum, nihil de eo cogitanti proponis, perinde sit ac si portam ei ad furandum aperires. Etenim probandum adhuc superest, in iis adiunctis illicitum esse eo pacto portam aperire.

QUAER. 6^o *An liceat occasionem peccandi permitttere, ut reus corrigatur?*

Resp. Affirm., quia permitttere non est inducere, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Hinc a peccato sunt excusandi *per se* 1^o parentes et domini, qui filios vel famulos peccare sinunt, ut opportunum eos corrigendi locum inveniant; — 2^o custodes agrorum, vinearum, etc., qui se abscondunt ut damnificantes capiant, et ab eis poenam exigant. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 58. — Laymann, etc.

238. — QUAER. 7^o *An liceat etiam occasionem peccati apponere?*

Resp. Controvertitur. — *Affirm. probabilius*, quia peccans non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius, a quo mutuum petitur: ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti. Hinc *probabiliter* non peccat dominus, qui de industria arcae, in qua pecunia reconditur, clavem relinquit appositam, ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. — S. Lig. n. 28. — Laymann, Collet, contra quosdam idcirco negantes, quasi hoc perinde sit ac positive concurrere ad peccatum, eius periculum expresse creando et ad illud inducendo.

QUAER. 8^o *Quid de fidelium communicatione cum Iudaeis?*

Resp. Tum ad tuendam christianae Religionis dignitatem, tum ad vitandum quodcumque perversionis periculum, statutum est ab Ecclesia, 1^o ne Christiani cum Iudaeis habitent; 2^o ne eorum convivii intersint; 3^o ne iisdem famulentur; 4^o ne eorum azymis vescantur; 5^o ne mulieres christianae lactent Iudaeorum infantes tam in illorum, quam in sua ipsarum domo (Inter decretales Tit. *de Iudaeis*, et S. Lig. n. 18. Pius IV. Constit. Cum enim, et S. Congr. Inquisit. die 15. Mart. 1612).

Attamen excluso quocumque perversionis periculo, probabiliter non est letale, imo nulla est culpa, si id ex rationabili causa fiat. — S. Lig. l. 2. n. 18. — V. *Casus.* n. 226. et seq.

SECTIO II. — De scandalo in particulari.

1^o Circa luxuriam; 2^o circa pravos libros; 3^o circa coreas; 4^o circa spectacula.

I. Circa luxuriam.

239. — Gravissimum scandalum est ea facere, repraesentare, aut prae se ferre, quae ad libidinem notabiliter provocant; quia nullum venenum subtilius animae propinari potest.

Hinc gravissimi scandali rei sunt — 1^o qui turpia in comoediis aliisque coetibus repraesentant; — 2^o qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; — 3^o qui statuas aut imagines obscenas faciunt vel exponunt; — 4^o qui discipulos sibi commissos pravis exemplis seducunt. — S. Lig. n. 56.

Quaesita. — **QUAER.** 1^o *An peccet graviter femina nudo pectore incedens?*

Resp. Affirm., si nudatio sit immoderata, seu valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiae minuit, cum assueta minus phantasmia excitent. — S. Lig. n. 55. (1).

QUAER. 2^o *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum aut fuco vultum pingens?*

Resp. ad 1^m Neg. per se, quia ornatus non graviter ex natura sua ad libidinem provocat, quin etiam ad status decorem saepe exigitur (2).

(1) Quamquam communissima sit, ut testatur s. Alphonsus (lib. 2. n. 55.), DD. sententia, non esse damnandam de peccato mortali moderatam pectoris denudationem, ubi talis vigeat consuetudo; plerumque tamen cuiusmodi sit moderata aut immoderata denudatio, ideo fortasse non dicunt, quod varia pro variis locis consuetudo esse possit. Ea de re sic Caetanus (*Sum. V. Ornatus*): *Qualitas (inordinata) ornatus communiter peccatum inducit veniale, si indecens est ac minus castus, ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. Verumtamen ubi consuetus est iam mos, sine peccato videtur.*

Quidquid sit, duo habet S. Alphonsus (l. c.) notatu dignissima. Primum est, *illas feminas, quae hunc morem alicubi introducant, graviter peccare.* Alterum vero est monitum generale, quod S. Antoninus hisce verbis tradit: *Videtur dicendum, quod ubi in huiusmodi ornatibus Confessor invenit clare et indubitanter mortale, talem non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipienda sententia (ut dicit Guilielmus Speculator in quodam simili), scilicet ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia faciendo postea contra*

illud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam... Et cum promptiora sint iura ad solvendum, quam ligandum... et melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate, ut dicit Chrysostomus... potius videtur absolvendum ac divino examini dimittendum. Fateor tamen, quod et praedicatores in praedicando, et Confessores in audientia confessionum debent talia detestari, et persuadere ad dimittendum, cum sint nimia et excessiva, non tamen ita indistincte asserere, esse mortalia.

(2) Consulatur S. Thom. (2. 2. q. 169. art. 1.), ubi ostendit, in ornatu et virtutem esse posse, et vitium. Virtus quidem inest, si persona moderate se habeat in omnibus secundum consuetudinem patriae, et secundum conditionem ac dignitatem suam: vitium vero tum per excessum tum per defectum.

Speciatim autem de mulierum ornatu ac fucis doctrina S. Thomae ad haec capita revocatur (ex 2. 2. q. 169. art. 2., et *Comm. in Isai. cap. 4.*): 1^o Mortaliter peccant, si se ornent animo provocandi ad libidinem; 2^o Venialiter peccant, si ornamenta adhibeant mere ex vanitate, levitate, iactantia; 3^o Venialis ex genere suo culpa est, quod ornatus sit superfluus,

Resp. ad 2^m Neg. itidem: id enim *per se* venialem labem minime excedit, si ob vanam gloriolam captandam fiat: omni vero peccato carebit si iusta causa interveniat, v. gr. defectus naturalis tegendus, etc.

QUAER. 3^o *An graviter peccet mulier viriles vestes induens?*

Resp. Neg. per se: id enim, si iustam ob causam fiat, omni culpa carere potest; si ob levitatem vel iocum, veniale non excedit, praeciso tamen scandalo aut libidinis periculo. — S. Lig. n. 52.

QUAER. 4^o *An graviter peccent ii, qui larvati seu personati incedunt?*

Resp. Neg. per se, modo scilicet eos congressus non adeant in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

240. — **QUAER.** 5^o *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?*

Resp. ad 1^m Neg. tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Si qui vero casus excipiendi fortasse forent, hi ex personarum adiunctis, vel necessitatis gradu diiudicandi erunt.

Resp. ad 2^m Permitti quidem potest, si domi non servetur concubina. Secus vero difficiliter ob grave seductionis periculum, nisi tamen graves vigeant rationes eiusmodi domino inserviendi, vel nisi famuli famulaeque pietate vel annis proveciores existimentur. Paucis: quaestionis huius solutio vix tradi potest, sed ex variis rerum adiunctis petenda est. — *Ita communiter*, contra Concina, qui nullam admittit exceptionem.

QUAER. 6^o *An liceat puellae accipere munuscula ab illo, a quo praeter matrimonii finem requiritur et amatur?*

Resp. Neg. ordinarie (3) quia munera mutuum amorem maxime exci-

vel praeter conditionem status, sive per excessum id fiat, sive per defectum; 4^o Nullum per se est peccatum, si consuetudo patriae, et status conditio servetur; 5^o Licite mulieres aliquid ornamenti superaddunt, ut placeant viris vel quos habent vel quos accipere debent; 6^o Fucationes erunt mortale, si adhibeantur ad lasciviam; veniale, si mere ad fingendam pulchritudinem; nullum vero, si ad defectum aliquem occultandum; 7^o A peccato excusantur, quae incedunt capillis non velatis, si id non ex vanitate faciant, sed ex consuetudine, quae alioqui laudabilis non est.

Ad quaestionem vero, an mulier dimittere teneatur ornatum ad vitandum aliorum scandalum, sic ex communi sententia re-

spondet Suarez (*De Charit. disp. 10. sect. 3. n. 10.*): *Si ornatus sit moderatus et decens, per se non tenetur (dimittere) ad vitandum scandalum; quia de se actus non est malus, neque habet per se rationem scandali activi magis quam naturalis pulchritudo, et quia grave esset ad hoc obligare.* Et sane ad vitanda aliorum pericula nemo mulieres adhuc obligavit ad propriam faciem deturpandam.

(3) Dicitur *ordinarie*, quia ad huiusmodi munuscula tum puellis tum viris destinanda subinde etiam honesta amicitia aut benevolentia, quam dotes personae excitant, citra illa pericula impellere solent.

tant ac fovent; fere autem eiusmodi amores aut pravo fine aut certe periculo non carent. Hinc quoad fieri potest, imperandum puellae, ut eiusmodi munuscula restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis comburenda tradat. — S. Lig. n. 76. — Lacroix, l. 2. n. 264.

II. Circa prava libros.

Ex omni scandalorum genere nullum magis execrandum est, quam quod ex impiis et obscenis libris procreatur. Haec est diabolica inventio omnium efficacissima ad animas turmatim in gehennae barathrum detrudendas. Haec est pestis omnium maxime dira et immanis, quae non unam tantum regionem aut aetatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris complet stragibus. Quis autem dicere posset horrenda mala, quae Religioni et moribus ex pravis libris velut ex letali fonte exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda atque multiplicanda?

Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et Confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant, et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant.

Nunquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum Fidei et moribus omnino adversantium.

241. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An typis committi possint libri, qui partim boni, partim sint mali?*

Resp. Neg. generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si periculum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et hoc compensari magna utilitate ex iis capienda videatur. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis praesertim Superioribus, exquirant, quid in dubiis agendum sit.

QUAER. 2^o *An pravi libri interdum vendi possint?*

Resp. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis qui huiusmodi libros utiliter legere possunt, v. gr. ad eos confutandos, etc. Excipe libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt extirpandi.

QUAER. 3^o *Quid de donatione aut locatione pravorum librorum?*

Resp. Idem generatim dicendum, proportionem servata, ac de eorum venditione, quia omnia haec corruptelarum plena sunt. — Gousset, l. 1. n. 392.

QUAER. 4^o *An eiusmodi libri domino reddi possint?*

Resp. Neg., nisi prudens timor cuiuspiam gravis incommodi aliter sua-deat. Hoc ex principiis, quae tradidimus, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia, aliaque eiusmodi a domino pertimescas. Levis contristatio, vel etiam timor dis-

solvendae amicitiae non censeretur sane ratio, saltem plerumque, prava libros amico reddendi (4).

De prohibitionem librorum dicemus in Tract. de Censuris.

III. De choreis.

242. Choreae vel saltationes, prout vulgo fiunt, periculi et scandali plenae sunt, innumerasque animas diaboli laqueis irretiunt; et in hoc ludendi genus unanimiter invehuntur sancti Patres. Attamen choreae non aequae omnes idem malum periculum perferunt.

Principia. — I. Choreae *per se* etiam inter diversi sexus personas non sunt illicitae, si fiant honesto modo, id est remoto omni tactu, gestu, aut actu impudico. Ratio est, quia choreae *per se* indifferentes sunt, nec ulla lege prohibentur. — *Ita communiter* (5). — S. Lig. l. 3. n. 429.

II. Choreae inhonestae ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum, possunt esse graviter illicitae, ut patet. Inter illas autem a multis recensentur saltationes recentiores, quae gallice dicuntur *la Walse, la Polka, le Galop*, et aliae istis similes. At Confessarii erit iudicare de particularibus casibus ex modo, circumstantiis, gravitate motivi, etc.

III. In praxi generatim choreae quaelibet inter personas diversi sexus impediendae sunt, quantum fieri potest; quia prout haberi solent, plerumque periculosae sunt. Hinc Parochi et Confessarii subditos et poenitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent. — *Ita communiter* nostrae aetatis Doctores, et animarum directores.

243. **Resolves.** — 1^o Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte aliquando quaedam necessitas urgeat, et saltem probabiliter absit consensus periculum.

2^o Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quae sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut

(4) Haec paulo duriora videri merito possunt, ut facile patet ex iis, quae inferius de cooperatione ad malum dicentur. Nec valet paritas cum casu reddendi gladium illi, qui interfecturus alium sit; nam suus huic gladius nec penitus nec per-

petuo adimitur, et gravissimum caeteroqui adest tertii damnum prorsus impediendum.

(5) Confer doctrinam S. Thomae, quam superius attulimus vol. 1. in notis ad n. 32. Quaer. 7.

cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3^o Imo interesse choreis honestis, etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus etiam in choreis inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem, quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigetur (6). — Bouvier.

244. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An haberi tamquam licitae possint choreae cum larvis?*

Resp. Neg., generatim loquendo. Experientia enim constat, huiusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem impudicitiae (7). Attende tamen ad varias circumstantias, et ad rationem maioris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest.

QUAER. 2^o *An possint absolvi qui nolunt promittere, se choream derelicturos?*

Resp. 1^o *Neg.*, si illis sit occasio peccandi proxima, et indiscriminatim choreis etiam inhonestis interesse velint. Impossibile enim est generatim, quempiam saepe versari in istis consortiis levissimae et corruptissimae iuventutis utriusque sexus, et impura contagione non infici. — *Ita communiter.*

Resp. 2^o *Affirm.* generatim, si tantum choreis honestis intersint, v. gr. si quando auctoritate publica celebrentur vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam die festo Patroni loci; in huiusmodi casibus, qui impediri nequeunt, Confessarius prudenter dissimulabit; neque enim haec de causa poenitentes a Sacramentis removendi sunt. — Ita Bouvier, de VI praecept. c. 4. art. 3. et alii.

QUAER. 3^o *An possint facile absolvi qui interdum ducunt choreas inter cognatos et amicos?*

Resp. Affirm., saltem generatim loquendo, si choreae fiant adstantibus piis parentibus, aut aliis, qui aetate et moribus sint conspicui. Tales enim ludi non videntur per se graviter periculosi; et aliunde vix aut ne vix quidem impediri possunt, praesertim cum nullam mali speciem prae se ferant. Excipe, nisi alicui etiam ibi proxima adsit peccandi occasio.

(6) In eiusmodi adiunctis non modo imprudenter, sed et iniuste atque adeo non sine gravi peccato absolutio negaretur; neque enim absolutio, cum poenitens adest rite dispositus, actus est liberalitatis, quam

pro lubito suo Confessarius aut tribuere possit aut recusare.

(7) Larvae nimirum subinde locum praebent effreni licentiae, quam alioqui verecundia prohiberet.

QUAER. 4^o *An, vel quaenam sit culpa apprehendere manum mulieris in choreis?*

Resp. Si apprehendatur leviter de more in choreis honestis, nulla est per se culpa, aut ad summum venialis est, quia in hoc generatim nullum vel leve periculum libidinis adest. — Ita S. Lig. cum aliis, l. 4. n. 429.

Si autem affectu pravo manus mulieris apprehenderetur, aut perstringeretur, culpa levis aut gravis foret pro affectus pravitate, aut etiam pro minori maioreve periculo consensus in peccatum.

245. — **QUAER.** 5^o *An publice in praedicatione choreae reprehendere expediat?*

Resp. Neg. generatim in iis locis ubi sunt in usu, et reputantur quid indifferens; quia concionator nihil proficeret, et saltantes a concionibus simul et a Sacramentis averteret. Expedi igitur, ut concionatores, praesertim Parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata, quae in eis committi solent. Caveant autem, ne imprudenter notis infamiae afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur, tales tempore Paschali ad sacram mensam non fore admittendos. — V. Casus, n. 223. et seq.

IV. De spectaculis.

246. — De spectaculis, seu ludis, quae per mimos sive per histriones repraesentari solent, idem fere dicendum erit ac de choreis. Quare haec pauca subiicere sufficiat.

Principia. — I. Spectacula per se non sunt mala, nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivae, sive divinae, sive humanae, adversantur. Unde si res turpes in eis non repraesentarentur, et aliunde abessent circumstantiae libidini fomentum praebentes, nullatenus reprobanda forent. — *Ita communiter.* — S. Thom. 2. 2. qu. 168. art. 3. (8).

(8) Ita S. Thomas (l. c. ad 3.) de re ipsa, et de iis, qui illi deserviunt: *Dicendum quod ludus est necessarius ad conversationem humanae vitae. Ad omnia autem, quae sunt utilia conversationi humanae, deputari, possunt aliqua officia licita: et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. Et quamvis in rebus*

humanis non utantur alio officio per comparisonem ad alios homines, tamen per comparisonem ad seipsos et ad Deum alias habent seriosas et virtuosas operationes (puta dum orant, et suas passiones et operationes componunt, et quandoque etiam pauperibus elemosynas largiuntur). Unde illi, qui moderate eis subveniunt, non peccant, sed iuste faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes.